



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.





34  
A. A. C. C.  
DISPUTATIO  
EXERCITATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XXXIV,

De  
NATURA ETHICÆ, Ac  
DE VIRTUTE IN GENERE.

Quam,  
Deo adiutore,  
SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILÉMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet,  
MICHAEL HERMANNUS  
Vratislaviensis Sil.

In celeberrimâ VVittebergensi Academiâ,  
ad diem 16. Martii horis 8 loco consuetis.

Seneca lib. 3. Epist. 20.

Facere docet Philosophia, non dicere: Et hoc exigit, ut ad legem suâ quisq;  
vivat, ne orationi vita dissensiat, ut ipsa inter se vita unius, sine  
omnium actionum dissensione, coloris sit, &c.

VVITTEBERGÆ,  
Typis Iohannis Gormanni ANNO M. DC. XI.



EXPOSITIO  
DE  
SACRAMENTIS

DE  
SACRAMENTIS

DE  
SACRAMENTIS





PRÆLOQVIUM.

**P**hilosophia & divinè admodum divinus Ille edocet, Philosophia duo maxima munera esse, Deum scilicet contemplari, & animum à corporis sensibus sejungere, nec corporis curam gerere, Plato in Phædone fol. 378. edit. Lugd. Quoisso nemini non ex facili intelligi datur, duplicem omninò Philosophiam, geminum quasi solem, inde oboriri, quarum una mentis aciem ab ignorantis caligine purgans, Nos homini quantum datum, in contemplationem Dei, qui in effectis, & ab eis, unicè noscendus (Νῆς γὰρ ὁ γὰρ ἐν τῷ νοεῖν ὁ θεὸς ἐν τῷ ποιεῖν, ait Hermes, cap. 2.) deducit; Altera humanas appetitiones actionesq; componens, animum à corporearum & affectionum impurarum, cupiditatum & crassarum voluptatum commercio, separat, sejungit, exoluit. Et licet illa ut divinior, sic sit sublimior ac nobilior; Tamen hæc Homini accommodatior, & qua ille in civili conversatione constitutus, magis necessaria, Quod ipsum etiam advertens Plato, mellitis verè verbis super re hæc ita dissertat, in dial. de Philos. fol. 5. & seq. Philosophari non est plurima scire, sed seipsum cognoscere, quod sapere est, seipsum autem cognoscere est prudentiam & justitiam colere, aded ut præcipuum hoc Philosophi officium sit, dirigere & corrigere actiones humanas, & quicumq; hoc non facit tanquam inutilis planta ex humano viridario abscindi & rejici debet, &c. Hinc factitatum, ut Priscis omnis Philosophia reliqua ad morum doctrinam collata, infrugifera visa fuerit, sicq; ab isdem vocitata, C. Rhod. lib. 20. c. 8: Quippè cum potior nobis ratio debeas esse bene vivendi, quam optimè dicendi aut alterius alicujus scientiæ. Quintil. lib. 1. Inst. orat. c. 2: Ejus verò studio non solum in eruditione sed & in ipsa vita proficiatur, cum non in verbis at in rebus sit, animum informet, vitam disponat, actiones regat agenda vel omittenda demonstrat, &c. Seneca lib. 2. Epist. 4. Qua ratione quoq; Tullius multa & magna Philosophiæ moralis elogia, ab aliis prolixis ambagibus passim decantata, in unum quasi fasciculum colligens, non inrectè exclamat: o vita Philosophia dux! o virtutis indagatrix expultrixq; vitiorum? Quid non modò nos, sed omninò vita Hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, &c. lib. 5. Tusc. q. 9. Quapropter cum hæc ita habeant se, præteritum non tam curæ esse videtur, quam modis omnibus necessarium, ut dum hætenus cum DEO, cui unicè hoc in acceptis referimus, priorem Philosophiam, Theoreticam pro scopo & instituto nostro satis superq; consideravimus; Citatim ad alteram etiam, Practicam scilicet adcedamus, eamq; subjugum ingenij nostri pari industria mittamus, ut sic Philosophiæ cognitio sit completa sit absoluta; Viget edo rectius hoc ipsum fiat placet vite hæc, saltem de constitutione Ethicæ, deq; virtute in genere, nonnihil agere, de quibus insequentia sub manu, subq; acumine ipso styli nobis nata, solertius paulùm attendenda sunt.

THE S I S I.

**P**hilosophia practica sic ἀπὸ τῆς πρακτικῆς vocitata, quod nò solū virtutū officia contempletur, sed etiā factis exprimat, (nō enim ut sciamus, quid sit virtus sed ut boni efficiamur, considerationē de virtute suscipimus Arist. lib. 2. Eth. c. 2. & lib. 10. c. 9.) ac quæ actiones humanas componit, ut in omni vite gradu honestū appetamus civiliq; bono, quantum ejus fieri quit, fruamur; Di. abus est partibus conspicua, quarū una communis altera propria.



2. Illa tradit principia, fundamenta & semina universae Philosophiae moralis, ac singulis bene beateq; vivendi rationē prescribit. Hae ad singularia descendit, & praecepta communia societatibus accommodat, diciturq; politica, quae munera boni principis, magistratus, & civis inspicit; Et Oeconomica, quae munera justa & decentia patrisfamilias describit.

3. De illa verò parte communi, sive ut aliàs in vulgario significatu nomen hoc subit, Ethica speciatim adpellatã, ut primitus agamus, & necessitas exposcit ipsa, & utilitas inobscure flagitat: Sic enim, uno verbo, caetera omnia facilius dignoscere poterimus, uti & hoc manifestè colligitur ex Antesignano nostro Arist. lib. 10. Ethic. c. ult.

4. Hujus autem utilitates, leviculas haut sanè, sed enim momentosissimas perspicere, usq; adeò laboriosum non est: Verissimè enim Tullius in lib. 3. off. pronunciavit, nullum locum in Philosophiã feraciorē esse eo, qui est de officijs, seu moribus: siquidem illa magnum in modum conducit cuiq; hominum, tum quo ad seipsum, tum singulorum animos à vitijs purgat, virtutibus imbuit, morumq; integritate instruit.

5. Tum quo ad alios seu respectu conversationis civilis, dum neminem non ad eam omnigenã ratione idoneũ reddit, praecipiendo qualis erga concives esse debeat, ne scil. illis per vim aut dolum bona eripiat, verum ut aequus sit in contractibus, neminem fallat, &c. Vnde rectè hanc scientiam adpellaverit custodem & conservatricem vitae humanae, cum absq; aequitatis studio & observantiã, nulla planè societas subsistere queat, Bodin. lib. 1. de Repub. c. 1.

6. Tum demum quo ad aliarum facultatum cognitionem, cum primis verò & Iurisprudentiã; Siquidem legum forensium principia & fontes demonstrat, quin imò summam juris civilis continet, ut cuius ad oculum patefcere potest si collatio Iurisprudentiã inter & Ethicã instituat. Hinc Tullius lib. 1. de L. L. fatetur, Iurisprudentiam ex intimã Philosophiã hauriendã esse; Et, qui sit ad instar omnium Vultejus in praefat. Suae Iurispr. Rom. pag. 58. rectè inquit: Sine quibus autem Ius satis commodè disci nequit, omnes sunt Philosophiã partes, cum primis autem Ethica, &c.

7. Et Theologiã: Cum testetur modis benè multis de Naturali legis divina cognitione, ac cum vel hinc solum in claro sit, quantum adhuc in legis cognitione & honestatis studio valeat recta hominis ratio, & quousq; sese extendat libertas arbitrij nostri à lapsu; cum praeterea ex collatione doctrinae coelestis & Philosophicae utrumq; genus illustrius & dulcius evadat; Cum deniq; Ecclesia hinc sumat virtutum moralium nomina, definitiones, divisiones, distinctionem itidem principiorum in actionibus humanis, &c.

2. Sum-



8. Summatim omnibus omnino hominibus doctrina hæc per plurimum prodest, tam bonis, ut semper virtuti studeant, quam malis, ut per doctrinam ad virtutis studium quoquo modo flectantur; (Nam Nemo adeo ferus est, quin non mansuescere possit Si modò doctrina patientem accommodet aurem) Tam senibus, ut regulam, quam juvenibus, ut medicinam vita habeant.

9. Etsi enim Philosophus conceptis verbis asserat, juvenes ab auscultatione disciplinarum Practicarum esse arcendos, cum illas non cum fructu audiant, lib. 1. Eth. c. 3. Tamen definite de illis tantum verba ibidem facit, qui scilicet planè ignari sunt actionum civilium, & cupiditatibus in totum indulgent. Unde & ibidem duplices juvenes constituuntur, alij quidem etate & annis, quorum multi moribus possunt esse senes, alij vero etate & moribus, quos tantum respexit eo pronanciato Philos. uti & senes, qui moribus juvenilibus & pravis præditi.

10. Porro, ut ad initia & quasi incunabula hujus doctrinae accedamus, si usum & praxin respicimus, Ethica sanè disciplina est antiquissima, & multò Physicà antiquior, ut testatur clarè facit Philosophus lib. 1. Met. c. 2; Sin- vero præceptionem, longo tempore post Physicam à doctis exculta fuit. Nam etsi dubium hoc non habeat, quovis tempore extitisse prudentum monita, quibus ad virtutis amorem & culturam reliquos excitare voluere:

11. Idq; partim viva voce, quò pertinent proverbia & dictoria, quæ antiquis in vulgus spargebantur: Partim consignatione dictorum moralium in statuas publicè erectas, aut fores templorum: Partim fictione fabularum moralium ut quod crudeles in lupos, &c. vertantur: Partim demum compositione sententiarum moralium in unum fasciculum, quales sunt libelli parænetici Hesiodi, Theognidis, &c.

12. Interim tamen præcepta virtutum sub leges scientiarum vocare, ipsas virtutes & vitia definire, deq; moralibus in utramq; partem differere Socrates primò omnium cepit, Arist. lib. 1. de part. an. c. 1. Cicero lib. 1. Acad. qq. & 5. Tusc. Laertius in vita Socr. Post Socratem autem Plato aliquot dialogos ad moralem scientiam pertinentes, conscribavit, ut Menonem, Phileum Lysin. &c.

13. Tandem Aristoteles, monstrum illud Naturæ vitio, omni carens, uti pleriq; reliquis, ita & huic parti Philosophiæ extremam imposuit manum, omnemq; moralem doctrinam in formam disciplinæ optimè redegit, ita ut omnino ille tanquam princeps Ethicorum agnoscendus, vestigiaq; ejus ab illis, qui ad solidam hujus doctrinæ cognitionem anhelant, maxime sine



14. Et licet plura scripta moralia ab eo sunt concinnata, uti catalogus librorum Aristotelicorum arguit: tamen illorum hodie quatuor tantum supersunt, scil. lib. 2. Magn. Mor. lib. 7. ad Eudem. lib. de virtut. & vit. & 10. lib. Ethic. Ni com. qui per excellentiam libri de moribus vocari solent. In prioribus tribus Arist. nobis rudimenta quadam & praeludia doctrina moralis exhibet: In posteriori autem absolutissime eandem complexus est, unde & libros istos, ceu preciosiss. filio suo Nicomacho dicavit, cum jam vir esset etatis matura, iudicijq; exercitatisimi, quamobrem merito & Nobis pra reliquis commendati esse debent.

15. In illis autem accommodate progressum instituit à fine & effectis, ad principia seu causas virtutum; Siquidem non alio quam Resolutivo ordine suam naturam doctrina Moralis tradi potest, quippe cum in eam finis notior sit, utpote qui certo semper proponitur, ac de quo nulla deliberatio, nulla consultatio instituitur, quam ea quae ad eundem deducunt, quae incerta omnino & dubia: A notioribus vero in omni ordine ad ignotiora procedendum, uti alibi hoc ipsum probatum datur.

16. Pertractatq; doctrinam Ethicam Aristoteles, methodo saltem Dialecticâ, seu probabili argumentorum genere: Nam cum quaelibet res ita explicari debeat, prout natura illius patitur lib. 1. Eth. c. 1. Et verò ea, quae Ethica considerat, honesta scil. iusta & bona, sint res contingentes & probabiles, quae pro diversitate personarum, locorum, temporum & aliarum circumstantiarum admodum variant: Est manifestum, praecepta Ethica non exquisitis demonstratoribus tractari posse, sed oportere Nos hoc loco in probabilibus rationibus acquiescere.

17. Quocirca etiam Ethica (vel ἀπὸ τῆς ἔθης, à consuetudine & assuetudine, vel ἀπὸ τῶν ἠθῶν à moribus sic dicta, lib. 2. Eth. c. 1.) nil aliud est, quam prudentia de externis hominum moribus rectè honestèq; instituendis, ut quoad fieri possit, homo in hac vita civili benè beateq; vivat: Circa definitionem quam tria potiss. paulum altiori intellectu percurrenda sunt.

18. 1. Genus, & est Prudentia: Etenim cum Ethica sit disciplina operatrix & minimè sit ποιητικὴ sive ars (nam praeter caetera haec earum rerum propriè est, quae corporis, & imprimis manuum adminiculo tractari solent, lib. 6. Eth. c. 3. Atqui Ethica circa virtutes, ac circa affectus virtute imbuendos tota est occupata) De necessitate omni sequitur, eandem esse prudentiam, cum plures ejus generis habitus non dentur, lib. 6. Eth. c. 5. Ut hac vice in silentium penitus conjiciamus, quod ipsi genus aliud nullum, qualitercunq; etiam illud se habeat, commode adaptari possit.

19. 2. Fi



19. 2. Finis qui Ethicæ, non secus ac disciplinarum aliarum operatriciū, duplex est: Internus, ac est hominem comptis ac decentibus moribus seu virtutibus informare; & externus, estq; beatitudo civilis, qua scilicet ad Hominem per se consideratum restringitur, & quâ illa in hunc introducenda: Ab hac felicitate practica pendet natura & constitutio Ethicæ, absque quâ etiam nunquam fuisset inventa ac ejus producendi media seu principia, per totam inquiruntur Ethicam.

20. 3. Subjectum de quo non exigua Philosophorum est congressiuncula, qui modis omnigenis hic opiniosissimi: Verum Nos in definitione maluimus asserere Ethicam versari circa externas actiones seu mores hominum, cum ab hisce & ἡδὴν seu moralis dicatur, & ipse Arist. in pr. Magn. mor. sibi proponat, de attinentibus ad mores agere, ibidemq; statim subiungat, universum negotium, Ethices circa mores esse.

21. Neque tamen actiones humanae, hic considerantur, ut in Physicis quâ scilicet homo naturaliter agit, ac a naturâ ad agendum impeditur; Neq; quâ temerariè aut violenter aliquid facit: Sed prout à liberâ Hominis voluntate proficiscuntur, ut in ijs honestum, & quod decet, natum est resulgere, & quâ universè & generaliter sumuntur, absq; societatis respectu, vel civilis vel domesticæ.

22. Caterùm Ethicæ partes duæ sunt, una agit de summo bono, & dicitur εὐδαιμονολογία, altera de virtute, ac appellatur, ἀρετολογία: Illa licet jure meritoq; omni primordium ducat, ut inantè dictum & evictum: Tamen haud dabitur vitio Nobis magno, si certis de rationibus, & propter chartæ hujus angustiam, ordinem hunc immutaverimus, & primò de virtutibus tractationem susceperimus, & vice hac unum atq; alterum de illis in genere, hisce adjectaverimus.

23. Virtus igitur (quæ est vel à vi, quod vi suâ nos alliciat, vel à viro, quod virum maximè deceat, vel quasi viri status, quod animus viri in eâ sistatur, vel, idq; verius, à viribus, quasi viritus, quod viribus nitatur tantis, quæ modo nullo oppugnari possint aut opprimi, Scalig. lib. 1. Poet. c. 2.) in generalitate suâ nil notat aliud, quam perfectionem ejus, cujus est virtus, lib. 2. Eth. c. 6.

24. Et hanc vel eminenter, ac soli Deo competens est, cum ejusq; convertitur essentia: vel dependenter & sumitur pro qualitate, vel naturâ insitâ eâq; aut latissimè acceptâ, atq; tum rebus universim omnibus naturalibus tribuitur, aut pro generosâ aliquâ & tantùm bonâ inclinatione ad hanc vel illam actionem, non in hominibus solum, sed & in brutis.

25. Vel nostro studio acquisitâ, ac refertur vel ad corpus, quod ipsa perficit, redditq;



redditq; ad agendum habile, ut robur, saltatoria &c. Vel ad animam, quam  
in idem perficit ac ad rectè agendum inclinât: Et hæc significatio ultima u-  
nicè præsentem spectat locum, maximè cum beatitudo civilis non incorporis  
at enim in animæ operationibus posita sit.

26. Vnde & respectu facultatum animæ (quarum Aristoteli, pro Ethicis  
hiscè sensu sat commodo duæ sunt, lib. 1. Eth. c. 7. non quidem si ejus essen-  
tia, sed si ejus exercitium consideratur, alia Irrationalis, & vel planè talis,  
ut est vegetativa potentia, vel aliquo saltem modo rationis particeps, ut  
Appetitiva: Alia rationalis, quæ duabus iterùm distinguitur quasi partibus,  
Intellectu & voluntate) hæc virtutes subdividuntur.

27. Alia namq; sunt Intellectuales, quæ non in phantasiâ, siquidem hæc  
non intelligit, verùm in ipso Intellectu hærent, ipsumq; ad verum inquiren-  
dum perficiunt: Hic enim læsus est per lapsum, meritissimò igitur ipsi adpli-  
candum remedium, quod hic virtutes Intellectuales; Ut fileamus, quod Intel-  
lectus fiat omnia, Scalig. Exerc. 307. Sect. 6. receptione scil. & subjectivè,  
ergo ipsam etiam virtutem recipiet.

28. Alia voluntatis, quæ & Morales dicuntur, ac voluntati insunt, ut in  
subjecto Inhesionis, inq; eam primò agunt & formaliter: Namq; in eâ ut sine  
potentiâ, ubi est electio & libertas, necesse; At in voluntate illa sunt. Quin  
perfectio est in eo cuius est perfectio: At virtutes morales sunt perfectio-  
nes voluntatis. Sed per chartæ angustiam progredi hic non possumus: Tan-  
tùm igitur de virtute in genere, imposterùm quid virtutes Morales, quid In-  
tellectuales, solertius in specie videbimus.

#### ADIECTANEA.

1. Theologia & Philosophia nec pugnant invicem nec planè idem sunt, sed diffe-  
runt. 2. Physica prius docenda & discenda quam Ethica. 3. Et hæc secundum i-  
deam omninò est conscribenda. 4. Respicitq; non tantùm exteriora, verùm & interiora.  
5. Virtus minimè de essentia est animæ. 6. Soliq; proprie competit homini. 7. Ac præ-  
stantior est arte. 8. Imò suo modo ipsa nobilior natura. 9. Est etiam omnis bona,  
10. Quæ tamen bonitas inexistentiæ ratione modò est perfectior.  
modò imperfectior.

F I N I S



Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]




Sb.

VD 17









M. A. C. C.  
 DISPVTATIO  
 TATIONUM PHILO.  
 OPHICARUM XXXIV,

De  
 IRA ETHICÆ, AC  
 VIRTUTE IN GENERE.

Quam,  
 Deo adiutore,  
 SUB PRÆSIDIO  
 BIÆ TILÉMANI

eb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
 exercitiij gratiâ defendendam suscipiet,  
 HÆEL HERMANNUS  
 Vratislaviensis Sil.

vimâ VVittebergensi Academiâ,  
 diem 16. Martii horis 8 loco consuetis.  
 Seneca lib. 3. Epist. 20.  
 Sophia, non dicere: Et hoc exigit, ut ad legem suâ quis  
 mi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius, sine  
 tum actionum dissensione, coloris sit, &c.

VVITTEBERGÆ,  
 annis Gormanni ANNO M, DC. XI.



35

